Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

cuius merita predicare frequenter audiui. Ecce que ei a memorato pontifice et per me
sunt allata perspicite. Hec archidiaconus atque alia plura narrando ciuium animos
in sese positos quam in benedicte illius nece commotos, salubri allocutione compescuit. Sanctus
quoque martinus uirtutum admiratione laudabilis, apud waingonum ciuitatem, a prefecto mili-
tum custodie deputatur. atque inermis altera die contra exercitum proferendus. orationum mu-
nere fedus utriusque partis optinuit. Beatissimus pontifex anianus aurelianensem
urbem hunnorum obsidione uallatam, ipse iam pulsibus corruentem, ab imminenti peri-
culo accelerato orationibus gothorum auxilio liberauit. Hec uero hunnorum exercitum non solum
longius uenienti orationibus prestitit, uerum et ne appropinquare parisius conarentur obtinuit.
Merito ergo genofeue ea que predictis antistibus uenerationis deferuntur obsequia cui in uir-
tutum meritis probatur esse par gratia. A quinto decimo namque anno usque ad quinquage-
simum annum etatis sue bis in ebdomada ieiunium modica cibi assumptione
dissoluit. panis ordeacii tantum et fabe capiens pulmentum. Vinum uero uel quicquid
inebriare hominem potest omni tempore uite sue non potauit. Post quinquagesimum an-
num episcopis suadentibus quorum admonicione nefas est contradicere pisce ac lac raro ac
modica perceptione gustauit. Fuerunt ei he uirgines comites spiritales. his uo-
cabulorum nominibus nuncupate. fides. abstinencia. magnanimitas. paciencia.
simplicitas. innocencia. concordia. prudencia. karitas. ueritas. disciplina. om-
ni illi tempore uite sue coherentes. Vicum katholicensem. in quo sanctus dyonisius
et passus est et sepultus. grandi amore et ueneratione dilexit. Hic uero episcopus in uii. a pary-
sius miliario martirio uitam finiuit. Qui a clemente episcopo sancti petri discipulo est in
sacerdocium benedictus. et ab eodem dicitur his partibus destinatus. Qui clemens et
certamen sancti supradicti petri apostoli cum simone mago in cesarea uel alibi. quam plurime
gestum admirabili predicatione descripsit. Cupiebat enim sancta genofeua huic sancto dyoni-
sio martiri in supradicto uico basilicam maxima construere ambicione. sed pre exigui-
tate census uirtus deerat construendi. Ad quam cum omnes presbiteri soluto conuenissent, cepit
cum eis habere de basilice constructione colloquium. ut unusquisque ut posset operi im-
pendium pro fidei sue deuocione conferret. Qui cum ad excoquendas calces se possibi-
litatis copiam non habere pre paupertate quererentur, sancta genofeua confidens de auxili-
o domini nichil huic operi defuturum. ait ad eos. Egredimini per ciuitatem et pontes ac per
uias gradientes unusquisque sollicita quid audire possit aurium sagacitate perquirat.
Qui protinus dicto obedientes et creduli quid eisdem de hac re demonstraretur egres-
si. Stantes autem in publico. quid unusquisque preteruncium diceret indicto linguis si-
lencio. usu autem tantum aurium prestolantes duos inter se pastores audiunt. Col-